

impiis hæreticis insipienter eidem attributa, atque in ejus commentariis inserta fuerunt.

(101. Temporum injuriæ tribuendum est, si post factum divortium novas nuptias nonnulli primitivæ Ecclesiæ Patres nulla quidem imitatione, sed potius commiseratione digni tolerandas duxerunt. Cum enim opportunis essent destituti remediis, quibus pudendas et injustas civiles subverterent et abrogarent leges, hinc quando gravis occurrebat causa, ob quam thori separatio jure erat permittenda, ad majora evitanda mala, tolerarunt etiam, ægro licet animo, ut innocens conjux, vivente adhuc conjuge dimisso, ad alias convolare nuptias, ne oppositum statuendo, leges hæcenus communiter observatas temere viderentur conculcare, ut manifeste eruitur ex verbis Origenis tract. 7 in Matth. : « Scio quosdam, qui præsumunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere, viro priore vivente, et contra Scripturam quidem fecerunt dicentem : Mulier ligata quanto tempore vivit vir ejus : item vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Non tamen sine causa hoc permiserunt : forsitan enim propter infirmitatem et incontinentiam hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt permiserunt, adversus ea, quæ ab initio fuerunt scripta. » (102. In hoc sensu accipienda sunt quæ scripsit S. Basilius in epist. 1 ad Amphiloichium. cap. 9 : « Virum ab uxore dimissum venia dignum esse, si nubat cum altera, neque mulieri, quam ducit, tale connubium crimini esse vertendum, » secundum leges civiles, de quibus proprie loqui videtur. (103. Hujusmodi demum contrahentes nuptias a veniali saltem culpa non omnino immunes voluit S. Augustinus, de Fide et operibus cap. 19 : « In divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit : ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur. »

(104. Quod adeo verum est, ut ubi eidem data fuit facultas et opportunitas libere loquendi, contrariam statim ipse S. Augustinus esse tenendam opinionem demonstravit Homilia 46, seu sermon. 392, et in Concilio Milevitano, cui ipse interfuit, statutum fuit, ut nova antiquarum legum derogatoria super divortio ab Imperatore peteretur Constitutio can. 69, inter collect. Concil. Bini tom. 1, part. 1, pag. 752 : « Placuit etiam ut secundum Evangelicam et Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur ; sed ita maneant, aut sibimet concilientur. Quod si consenserint, ad pœnitentiam redigantur. In quo casu legem Imperialem petendam promulgari. » (105. Hunc canonem habes etiam penes Gratianum. caus. 32, quæst. 7, can. 5, sed paulisper mutilatum, cujus ideo lectio rejicienda est.

(106. Multas recensuit Auctor causas, ob quas licitum est divortium quoad separationem thori et habitationis, quæ revera omnes in foro obtinuerunt, sed si ex ipsis adulte-

rium demas, caute et non nisi ex necessitate alias admittes. Ex unanimi enim SS. PP. sententia habemus, solum adulterii vitium præbere causam divortio. Ita D. Hieronymus in cap. 19 Matthæi : « Grave pondus uxorum est, si excepta causa fornicationis, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si vaga, si jurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi ? Volumus nolumus, sustinenda est, cum enim essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servituti. » Ita S. Augustinus in can. *Domini* 6, caus. 32, quæst. 7 : « Dominus ad illud confirmandum, ut non facile dimittatur uxor, solam causam fornicationis excepit : cæteras vero molestias, si quæ forte extiterint, jubet pro fide conjugali, pro castitate fortiter sustineri ; » et ibidem in can. *Si uxorem* 18, q. 5 : « Si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem corpore, sive debilem membris, sive morbis et doloribus confectam ; et quidquid, excepta fornicatione, excogitari potest vehementer horribile, pro fide et societate sustineat. » Ita Nicolaus Papa in can. *Quidquid* 22, caus. 32, qu. 5, « quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit ; vel si te accusaverit, non est, excepta fornicationis causa, rejicienda. » Ita e contra de muliere S. Ambrosius in can. *Horrendus* 17, eadem caus. et quæst. : « Horrendus, et incultus est vir, semel placuit. Numquid vir frequenter est eligendus ? »

(107. Quid vero dicendum, si mulier gravi infirmitate correpta viro reddere debitum non valuerit ? Si ad Epistolam Gregorii III, prout jacet, oculos convertamus in can. *Quod proposuisti* 18, caus. 32, qu. 7, non ambiguis verbis viro conceditur facultas eam dimittendi, et congruis alimentis eidem constitutis, aliam ducere uxorem : « Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis ; bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret ; sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis ; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedi, non detestabilis culpa excludit. »

(108. Hæc profecto sententia primo aspectu non minus Evangelicæ quam Divinæ legi contraria est, nec ita facile concipi potest quomodo anno circiter 726, quo Gregorii Epistola scripta fuit, hæc absolute doctrina tolerata fuisset, dum multo antea, sublatis civilium legum erroribus, contrarium in Concilio Milevitano, cujus supra retulimus verba num. 42, generaliter sancitum fuit. Primo vero advertendum est Epistolam hanc non a Gregorio III, prout legit Gratianus, sed a Gregorio II fuisse scriptam ; extat enim tom. 1. Conciliorum German. pag. 33. ubi tribui debere Gregorio II, ex chronicis Epistolis notis a Jacobo Sirmondo animadversis scite ostenditur. Ex his patet quanti facienda sit eorum opinio, qui hanc Epistolam cum Ecclesiastica doctrina conciliare nescientes dubiæ fidei esse crediderunt. Alii cum Gratiano arbitrantur rescriptum illud, uti Evangelicæ et

Apostolicæ doctrinæ adversum, omnino rejiciendum esse, vel de eorum numero esse, quæ summis interdum Pontificibus, ut privatis Doctoribus exciderunt, quæ ideo vim legis, et robur non habent.

(109. Sed, his rejectis opinionibus, ea magis placet, qua traditum est Epistolam intelligendam esse de muliere aliqua infirmitate correpta, qua impotens matrimonio erat perpetuo, sive impedimentum esset absolutum, sive relativum ; ibique agi de matrimonio rato, non consummato. Non enim satis est, ut infirmitas sit perpetua, nisi eodem tempore constet matrimonium ratum non consummatum fuisse. Post consummatum quippe matrimonium, si superveniat impedimentum, non per hoc dissolvitur ipsius vinculum. Requiritur ergo, ut copulative concurrat, et perpetuitas impedimenti licet superventi, et quod matrimonium sit ratum. In his profecto terminis recte respondit Gregorius, cum ea femina numquam dici poterit uxor, cum deficeret causa matrimonii, sobolis nempe propagationis. Ita Barb. Collect. Doct. in part. 2. decret. caus. 32. q. 7, cap. 18, sub num. 2. « Dico ergo vel intelligendum de femina infirmitate arctationis correpta, quæ ita arcta erat ut a viro cognosci non posset, maritoque dicit Pontifex, bonum viro si sic permanserit, solebant enim quas ut uxores habere non poterant, retinere ut sorores sine copula maritali et actibus. » Bellarmin. de Matr. lib. 1, c. 11. in fin., Sanchez tenent « priorem non fuisse legitimam uxorem ob impedimentum perpetuum, idque solum declarasse Pontificem, » et paucis interjectis, prosequitur : « Dico etiam explicari posse de femina nondum cognita et de matrimonio rato non consummato, qua in gravem aliquem morbum incidente, eumque perpetuum, conjux volebat ad secunda vota transire, idque indultum a Gregorio. » Collect. loc. alias cit. de matrim. cap. 5, sect. 3, num. 132. « Dico in illo Gregorii textu sermonem esse de femina, qua naturali infirmitati correpta matrimonii impotens erat, quæ proinde nusquam vere fuerat uxor illius, cui ab ipsa discedere permittit Pontifex Rom. Hanc certe expositionem patitur Gregorii textus, quem totum retuli. Atqui postulat æquitas, ut ambigua locutio benigniorem in sensum flectatur, cum præsertim durior alia admitti nequit absque eo quod Pontifex et in re perspicua cæcutierit, et a constanti tum Sedis suæ, tum et Ecclesiæ doctrina recesserit. »

(110. Neque rem mutant sequentia Gregorii verba non tamen subsidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas præpedi, ac si his indicare vellet matrimonium validum ab initio fuisse, et quasi polygamiam tueri. Etenim respondebitur cum Glos. intelligi de dote restituenda, aut si de alio subsidio accipiatur, esse consilium : Barbosa loco cit. et Collect. loc. pariter citat. « Nec obstat, quod vetet Gregorius ne vir ille subsidii opem subtrahat ab ea quam deserit. Neque enim opem illam præcipit Gregorius,

eo quod femina illa vere fuerit uxor, sed quod inops esset, nec sibi propter infirmitates victum posset comparare. Huic uni, quæ reverentior est, solutioni adhæret Jueninus. » Cæterum, hoc excepto casu, ubi perpetuus non sit morbus, et matrimonium jam sit consummatum, nullo modo licet, alterutro vivente conjuge, novas contrahere nuptias. Ita Alexander III. in cap. *Pervenit* 1, et cap. *Quoniam* 2, de Conjugio leprosurum.

(111. Quoniam hic Auctor meminit de spirituali adulterio legitimam præbenti causam divortio, non abs re erit, pauca hic de Judæorum ad Christi fidem conversorum divortio adjungere. Statuit Benedict. XIV. in Constit. Apostolici ministerii 38, *super abusu libelli repudii conversorum a judaismo*, si quis judææ uxori libellum repudii exhibeat, Ecclesiasticis censuris, et pecuniariis insuper pœnis plectendum esse : voluit tamen, ut a viro converso mulier infidelis interpellatur, an ipsa quoque velit Christi fidem amplecti, et cum viro Christiano cohabitare ; quod si infidelis ad fidem converti renuat, tunc, viro converso, liberum est aliam Christianam ducere uxorem. Innocentius III. cap. *Quando* de Divortio, et idem Benedict. XIV. in Constit. *in Suprema* 127, tom. 1. ejus Bullar. Apostolica tamen Sedes facillime eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadeat, concedere solet. Gregorius XIII. locorum Ordinariis Parochis, et Præbyteris Missionariis Societatis Jesu in Angolâ, Æthiopia, et Brasilia degentibus potestatem concessit dispensandi cum quolibet Conjuge, qui Christianæ Religionis nomen dedit, ut novum possit matrimonium inire omissa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constat legitime interpellari non posse. Benedict. XIV. de Synod. Diœcesan. lib. 6, cap. 4, § 3. post medium. Immo ipse Benedictus Apostolico Venetiarum Nuntio facultatem concessit, ut in simili rerum eventu possit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjuges conversos existentes in loco pio Catechumenorum ipsius Civitatis Venetiarum, ut habetur ex ipsius Constit. 3, tom. 1. Bullar. Quin immo licet inde Mulier infidelis ad Christi fidem convertatur, matrimonium tamen ex post a viro converso cum muliere Christiana contractum ipsa nequit rumpere ; idem Benedict. XIV. alia Constit. incip. *In suprema* 117, tom. 1. Bullar. relat. a Galiard. Instit. Jur. Canon. lib. 2, tit. 11, § 1, num. 52. in fin. in not. lit. A.

(112. Quæstio hic solet excitari, utrum statim, ac infidelis conjux Christianam renuat amplecti fidem ut quidem minus recte opinantur an post secundas cum Christiana femina nuptias initas legitimum viri Neophyti matrimonium dirimatur ex probabiliori sententia, quam sacra Congregatio Concilii sequitur in quadam Florentina 1679, reposita anno 1680, in The-saur. resolut. tom. 3, pag. 346, 352. et seq. et in alia Florentina anni 1726. Rursus utrum infidelis uxor in pœnam suæ perfidæ nequeat alteri viro nubere, quousque

primus vixerit, an vero potius ipsa quae a matrimonii vinculo dici debeat soluta statim ac ipsius vir secundas cum Christiana muliere celebravit nuptias. Super his varii varia sentiunt, ideoque hanc potius Theologis dirimendam relinquimus quaestionem, ne in alienam messem injicere manus videamur, quoniam in suis Constitutionibus eandem maluit indecisam relinquere Bened. XIV. Hanc tamen breviter pertractare non omisit in suo tractatu de Synod. Diocæes. lib. 6, cap. 3, § 4 et 5. ubi quaerit: an Summus Pontifex suprema sua auctoritate possit matrimonium in infidelitate contractum dirimere, et affirmativam sequi videtur opinionem. Verum Sacra Congregatio Concilii quaestionem indecisam reliquit. Quapropter, si libet, consule argumenta affirmativae sententiae allata in magistrali super hoc puncto ejusdem Benedicti dissertatione, quae inserta legitur in cit. Thesaur. Resolut. pag. 30.

(113. Expedit ab iis, quae spirituales respiciunt matrimonii naturam, modo videamus de temporalibus. Sicut enim ut plurimum sine dote, vel donatione propter nuptias non contrahitur matrimonium, ita jure quaeritur, an dos restituenda, vel quando, et in quibus casibus restituenda sit post secutam thori saltem, et habitationis separationem. Quaestio haec absolvitur distinctione: Aut divortium sequitur ex culpa viri, et tunc mulieri integra restituenda est Dos. Fontanell. de Pact. nupt. claus. 7, glos. 2, par. 10, num. 51. Rota coram Molines decis. 369, n. 13 et 16, et post multos relatos coram Crispo decis. 292, et 8. usque ad fin. ubi multis pariter allegatis firmat, ultra dotem augmentum quoque dotis, fructusque a die contestatae litis super divortio esse mulieri restituendos. Quid vero si nupserit indotata, nullaque propter nuptias intercesserit donatio, Resolutionem quaestionis habes a Justiniano in leg. *Jubemus* 11. Cod. de Repudiis. « Si quis autem eam, quam sine dote uxorem acceperat sine ejus culpa eam rejecerit, vel ipse talem culpam contra innocentem mulierem commiserit, compellatur ei quartam partem propriae substantiae pro rata portione persolvere; ut si quidem quadringentarum librarum auri vel amplius vir substantiam habeat, centum libras auri mulieri praestet, et nihil amplius, etsi quantamcumque substantiam possideat. Si vero minus quadringentis libris auri pura substantia ejus fuerit, tunc quarta pars, computatione facta purae substantiae ejus, usque ad minimam quantitatem mulieri detur, » et Novell. 22, cap. 18. Novell. 53, cap. 6. Novell. 74, c. 5.

Si vero e contra mulier divortio occasione praebuerit, tunc de rigore juris ipsa Dotem amittit d. l. *Jubemus* 11. Cod. de Repudiis, ibique Bruneman. n. 3. Corvin. in Cod. lib. 5, tit. 17. circa fin. Duaren. Oper. tom. 1, pag. 188, coll. 1. in princ. et pag. 479. coll. 2, § 5. in Comment. tit. de Divortis. Rem adeo produxerunt nou-

nulli ut mulierem bonis etiam paraphernalibus privent, contrariam tamen sententiam, quod illis non privetur, veriore esse tenet post relatam utramque opinionem Pirhing in Jus canon. lib. 3, tit. 16, sect. 1, § 5, n. 23. Ex aequitate tamen atque ex diversorum locorum consuetudine in potestate viri est, vel dotem adulterae uxori restituendi, vel alimenta eidem praestandi, in quibus constituendis pro circumstantiarum varietate multum arbitrio Judicis tribuendum est. Voet. in Pandect. lib. 24, tit. 2, n. 18. in fin. Carpzov. Definit. forens. par. 3. Constit. 26. definit. 13 et 18.

Si vero quaeras quis Judex ad has exolvendas controversias adeundus sit, utrum nempe laicus, vel Ecclesiasticus, non longe petenda est responsio. Si respicias matrimoniales causas in se, quatenus agitur de validitate matrimonii, de vinculi indissolubilitate, et similibus, cum haec spiritualia sint, ad Judicem Ecclesiasticum procul dubio pertinent, ut luculenter probavit Auctor. Controversiae autem quae versantur super dotis restitutione, vel alimentorum constitutione, incidenter potius quam principaliter ad matrimonium pertinent. Quapropter si uno eodemque tempore res sit de matrimonio quoad ipsius validitatem, et vinculi indissolubilitate, et de arrhis, largitionibus, mutuis donationibus, de dotibus, de pactis dotalibus, de alimentis, causa super matrimonio simpliciter cognoscenda erit a Judice Ecclesiastico, reliqua vero relinquenda erunt iudicio Laicae Curiae. Ros. in Prax. civil. decr. dist. 3, c. 2, n. 41, de Franch. dec. 52 et dec. 512. Sanfelice. dec. 11, n. 3. Capicelatr. dec. 73.

Neque officit, quod hoc contrarium videatur regulae de qua leg. 1. Cod. de ordin. judic. et leg. 3 Cod. de judic. quae Judicem principalis causae, quae omnia incidenter adnexa, licet a suo foro aliena cognoscere jubet. Hoc enim peculiare est in causis matrimonialibus, in quibus sicuti Judex laicus, ubi etiam incidenter occurrit super matrimonii, et sponsalium foedere controversia, eam ipse cognoscere recusat, sed potius decernere solet, ut partes adeant Judicem Ecclesiasticum, vel ut causa ad Ecclesiasticam Curiam remittatur; ita videtur statuendum in contrario casu, quatenus Judex Ecclesiasticus principaliter spirituales matrimonii causas expendit, incidenter vero occurrit de aliis incidentibus disputatio. Gagliard. Instit. jur. canon. lib. 3. tit. 7, § 16, in fin. Fontanel. de Pact. nuptial. claus. 7, glos. 2, part. 10, a num. 55, usque ad. n. 60. Card. de Luca de Matrimon. in sum. num. 61.

ADDITIONES CASINENSES.

114. Divortium Matrimonii opponitur indissolubilitati: porro tripliciter considerari hanc Matrimonii proprietatem debemus. 1. Cum Matrimonium est verum; 2. Cum ratum est; 3. vero cum consummatum. Est autem verum Matrimonium quod in infidelitate contrahitur; ratum quod a fidelibus legitime

celebratur; consummatum denique quod usu interveniente completum est.

(115. De Divortio in secundo tertioque casu auctor agit noster, at de divortio in primo casu quaedam dicenda sunt. Contendimus itaque Matrimonium ab infidelibus legitime contractum (h. e. Matrimonium verum) dissolvi posse quoad vinculum, si alter conjugum fidem amplectitur, et nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris. Haec doctrina penes Catholicos semper certa erat; at in dubium eam vocant neoterici. Anno enim 1758, die 2 Jan. Senatus Parisiensis decretum edidit, quo confirmatum est iudicium latum a curia Suessionensi die 5 Feb. 1756, in causa Judae Borack Levi Argentinensis fidem catholicam noviter amplectentis: sententia vero curiae praefata eidem vetitum erat aliud inire Matrimonium, licet uxor Judaeae cum ipso vivere jugiter renueret. Tunc temporis Ecclesiam Suessionensem regebat Episcopus Fitzjames. Ab ejus sententia Borack appellavit ad senatum Parisiensem; a quo Episcopi sententia fuit confirmata. Historiam hujus causae habes in opere, cujus titulus: *Recueil important sur la question de savoir si un Juif peut se remarier après son baptême*; 2 vol. in-12. Vide quoque hac de re Leridant *Code Matrimonial* t. 1, necnon Potier t. 2.

Ad sententiam Senatus Parisiensis confirmandam conati sunt Desessarts: *Dissertation où l'on prouve que saint Paul n'enseigne pas que le mariage puisse être rompu lorsqu'une des parties embrasse la religion chrétienne*. D. Pillet: *Traduction des deux livres de saint Augustin...* Augustinus Gervasius: *De Sacram. Matr.* cap. 5. t. 2. Auctor Institutionum Theologicarum Lugdunensium Diss. 4, art. 3. Eybel, Binterim, Tabaroud, La Luzerne in *Instr. sur le Rituel*; aliique quos collegit D. Jos. Carriere de Matrimonio t. 1, p. 11, sect. 3.

Hisce praemissis adversus omnes istos neotericos, sive aulici, sive Jansenistae sint, probandum est nostrum assumptum: Primo quidem id probatur ex Pauli verbis (1 ad Cor. vii, 13): *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus*. In quibus sane verbis de Divortio quoad vinculum loquitur Apostolus, uti antithesis inter fidelium et infidelium conjugia evidenter demonstrat. Accedit Patrum auctoritas. Re sane vera SS. Ambrosius (l. VIII, in Lucam), Jo. Chrysostomus (Hom. 19. in cap. vii, ep. I ad Cor.), Theophylactus atque Oecumenius in hunc Apostoli locum docent divortium esse faciendum, cum infidelis discedit. « Ut, inquit Chrys., si jubet te sacrificare, aut sociam esse impietatis propter Matrimonium, aut recedere: melius est ut divellatur Matrimonium quam pietas. » Ex quo testimonio habemus rationem quamobrem Deus exceptionem fecit, in favorem nempe fidei et pietatis. Diximus Deum apponere exceptionem, quia non humana aliqua sed divina prorsus auctori-

tate dissolvenda sunt ejusmodi Matrimonia.

Accedunt Rom. PP. decreta: illustre est illud Innocentii III, cap. VII. de Divortis « Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat... Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum. » Mitto caetera Rom. PP. decreta, mitto usum perpetuum omnium Ecclesiarum qui ex libris ritualibus colligitur; sed non possum praetermittere quod sapienter hac de re scribit Benedictus XIV, in l. 6, de Synodo, cap. 4: « Certum est infidelium conjugum, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concessio, et per Apostolum I. Cor. vii, promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Christianam Fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare eum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris. » Sive ergo Scripturam Sacram, sive Patrum Auctoritatem, constantem Ecclesiae traditionem et praxim consideras, conjugia infidelium dissolvi posse admitteres necesse est.

(116. Quid vero dicendum in casu, ubi conjux infidelis interpellari non potest? Huic quaestioni reponimus, edendo decretum a S. C. Conc. datum 17 Jan. 1722. Unde colligimus in hoc casu Summi Pontificis dispensatione opus esse. Scimus Benedictum XIV potestatem Nuntio Venetiis commoranti concessisse, qua dispensari posset cum quolibet conjugum, qui Christianam Religionem fuerit amplexus, ut novum Matrimonium inire posset, omitta interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constaret non posse legitime interpellari. Constat etiam Gregorium XIII, eandem dedisse facultatem missionariis in Aethiopia et Brassilia degentibus.

(117. Licet vero certum est conjugii vinculum dissolvi posse in hoc casu; tamen inter se non conveniunt auctores quoad tempus quo illud dissolvatur: sunt enim qui putant illud fieri ante, sunt et qui tenent illud eventire post secundum Matrimonium. S. Thomas in ea sententia est quod neque ante, neque post secundum Matrimonium prius dirimitur, sed eo tempore quo contrahitur secundum: « Crimen, inquit (in suppl. q. 59, art. 5.), uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris absolvit virum a servitute qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente, aliam ducere: sed nondum solvit Matrimonium; quia si de blasphemia illa converteretur, antequam ille aliud Matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus, sed solvitur per Matrimonium sequens... » Hanc Thomae sententiam sequutus est Benedictus XIV. Nobis quoque longe probabiliorem esse videtur.

Conjugi fideli, in hoc rerum statu, liberum est, religionem profiteri; et si sermo sit de marito, ad sacros Ordines ascendere

potest. Ita S. Thomas (in suppl. q. 59, art. 4). « Si autem non sit spes conversionis, potest ad sacros Ordines vel ad religionem accedere. »

(118. Divortium quoad vinculum, sive totalis dissolutio Matrimonii rati non consummati, fit per solemnem Religionis professionem alterius conjugum. Est de fide: sed quaeritur ex quo jure matrimonium hoc in casu dirimitur. Tres sunt sententiae: earum prima hunc effectum repetit ex jure naturali; altera ex jure divino positivo; tertia demum contendit Ecclesiam, potestate sibi divinitus tradita, hanc conditionem apponere, ut dissolvatur vinculum matrimonii rati, non consummati, per solemnem religionis professionem. Ex hisce tribus sententiis nobis magis arridit ultima; quia viam faciliorem nobis praebet fidem defendendi adversus neotericos. Caeterum unicuique liberum est illam amplecti, quae sibi verior faciliorque esse videtur. Cum vero constat Romanos Pontifices saepius in hisce matrimoniis dispensasse, non video quomodo catholici hanc potestatem ipsis denegant. Vide Tournellium, Collet, et Jo. Carriere; Sauretium et Perrone. Illi sententiam negantem, isti affirmantem tuentur.

(119. Divortium quoad matrimonii vinculum dari non potest propter haeresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam. Sic definitum est a Patribus Tridentinis. Sane vinculum matrimonii dissolvi non potest nisi in casu quo Christus a lege generali de ejus indissolubilitate a se edita, derogavit. Atqui numquam derogavit in hisce casibus, ut colligere est tum ex ipsis sacris literis, tum Ecclesiae auctoritate, constantique praxi. Sed haud levis est difficultas pro adulterii exceptione petita ex verbis Christi apud Matth. v, 32: *Omnes qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœcham; et qui dimissam duxerit, adulterat.*

Doctrina vero Ecclesiae quoad Divortium adulterii causa hæc est: « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et Apostolicam do-

ctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi... anath. sit. » Conc. Trid.

(120. Neque in verbis Christi penes Matth. l. c. ulla habetur exceptio in favorem adulterii. Namque ex citatis verbis liquet, cum mœcham eum qui adultera dimissa aliam ducit, tum qui dimissam ducit. At si talis exceptio haberetur, qui fieri posset ut mœcharentur in hoc casu? Verba ergo citata intelligi debent de dimissione quoad thorum. Quae confirmantur ex aliis Evangelistis, qui hanc clausulam omittunt, et ex S. Paulo Christi verba exponente de sola dimissione quoad thorum.

His accedit universalis Ecclesiae consensus, quae non aliter Christi verba intellexit, quam de dimissione quoad thorum. Hujus rei testes appello omnes Patres, atque Ecclesiae doctores; testes appello Conciliorum et Romanorum Pontificum decreta.

(121. Juerit vero cum Card. Pallavicinio monere sententiam de divortio quoad vinculum propter adulterium non esse damnatum ut *haereticam* in Conc. Trid. Damna enim fuerunt Lutherani et Calvinistae, qui Ecclesiam erroris accusabant, non vero Graeci et orientales, qui adhuc tenent conjugium propter adulterium dissolvi posse. Vide quae docte scribit Card. Pallavicinius lib. 22. cap. 4, adversus Paulum Sarpium. Licet vero Tridentini Patres directe anathemate Graecos non perculerint non inde sequitur Ecclesiam aliqua ratione Graecorum praxim approbare, cum ex dictis doctrinae Evangelicae plane sit contraria. Sed legenda esset Const. Benedicti XIV, quae incipit: *Etsi pastoralis*. « Matrimonia, inquit, inter conjuges Graecos dirimi, seu divortia, quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur (ordinarii); et si quae de facto praecesserunt nulla et irrita declarent. » Dum vero Ecclesia tolerat Graecos aliter sentientes, ac nisi eos ignorantia excusat, propterea peccantes, cum illis agit sicut cum caeteris peccatoribus.

DOCTRINA CHRISTIANA.

SUMMARIUM.

1. A quibusnam tradenda Fidelibus Doctrina Christ. — 2. Etiam in Ecclesiis ruralibus non parochialibus tradenda. — 3. 6. Necessaria etiam adultis, et ejus methodus tradendi. — 7. Non ea satis instructi a matrimonio repellendi. — 8. 10. In propria parocia instruendi Fideles. — 11. Ludimagistri cogendi ad tradendam pueris Doctr. Christ. —

(1. Doctrina Christiana est Fidelibus populis tradenda ab Episcopis; Benedict. XIV, tom. 1, Constitut. 42, incip. *Etsi minime*, § 2. (2. A Parochis, aliisque animarum curam habentibus; Idem, ibidem, § 3 et 4. (3. Item a reliquis Ecclesiasticis, a Magistris, a Patribus familias, a sodalibus huic operi addictis, et a reliquis invicem viris et mulieribus; Idem, ibidem, § 5, et seq.

(4. Doctrina Christiana tradenda est etiam in Ecclesiis ruralibus non parochialibus;

12. Plura de ea clericis quam laicis scitu necessaria. — 13. Multo probabilius, non valide absolutum fuisse, ignorantem scitu necessaria necessit. medii. — 14. Valide vero ignorantem necessaria necessit. praecipi. — 15. Mandatum Procurat. Gener. omnium Ordinum, ut explicationem Doctrinae Christ. Professis laicis faciendum curent. — 16. Innovatum, et executioni traditum apud Frat. Min. — 17. Doctrinae Christ. exemplar Catechismus Rom.

ibid., § 14, ubi expresse mandat, quod decernat. « Episcopus, gravibus etiam statutis poenis, quod Sacerdotes ibi operantes Christianae Doctrinae Summam populo tradant, divinamque Legem annuncient. » Et jam id statuerat Clemens XII, in sua Epistola Encyclica directa omnibus Episcopis Italiae die 1 Julii 1735, vulgari idiomate, ibi: « Soprattutto Sua Beatitudine inculca l'esatta osservanza di quanto s'ordine a' Parochi su questo punto dal Sacro Consiglio di Trento,

e specialmente che non si tralasci mai l'istruzione nella messa de' giorni festivi, ciocchè ancora dovrà farsi da tutti i Sacerdoti, che celebrano ne' medesimi giorni nelle Chiese, e Capelle rurali, per ammaestramento, di quella gente, che interviene al Santo Sacrificio, così dovranno insegnare tuttociò che debbano credere, sperare, ed operare, e specialmente i Misteri principali della nostra Santa Fede. » Sic apud eundem Pont. Benedict. XIV, volum. 3, Notific. 3, circa fin.

(5. Doctrina Christiana non solum pueris, sed et adultis est necessaria; Idem in cit. Constitut. *Etsi minime*, § 8. (6. Quae ratione providendum est institutioni Fidelium omnis aetatis et gradus; Idem ibid., § 9. (7. Et praescribitur uniformitas in methodo et ratione docendi Doctrinam Christianam, adhibendi nempe Libellum de Clementis VIII, mandato a Cardinali Bellarmino conscriptum, in deputata Congreg. diligenter examinatum, et approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio editum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, et discendo Christianam Doctrinam ab omnibus teneretur; Idem ibid., § 17. (8. Ubi subjungit, quod si alicubi contingat, ob peculiarem regionum necessitates alium quempiam adhiberi forte Libellum, sedulo invigilando sit, ne quid ille contineat, vel in eum umquam inducatur a Catholica veritate absonum; sed insuper ut in eo Fidei dogmata clare, et dilucide sint explicata, additis, si quae desunt, necessariis, ac sublatis, quae redundant, servata semper brevi, et univoca docendi methodo.

(9. Qui in Doctrina Christiana satis instructi non reperiuntur, Matrimonio jungendi non sunt; Idem Constitut. 42, incipit *Etsi minime*, § 11.

(10. Non est tolerandus mos in nonnullis Diocesis obtinens, ut pueri unius parociae in alia parocia doceantur doctrinam Christianam; quemadmodum rescripsit Sac. Congregat. Concil. ad Card. Lambertini, die 9 Augusti 1732. Institut. Ecclesiast. 9, § 10, sed singuli Parochi erudire suos debent, vel saltem curare, ut in parocia erudiantur. Non tamen reprehenduntur qui in Ecclesiis suis, licet non sint Parochis subjectae, fideles eo confluentes docent, dummodo exhibeant Parochis nomina eorum, qui eo frequentant; ib., § 13.

(11. Ludimagistri, tam conducti a Communitate, quam non conducti, tam Clerici, quam laici, hortandi sunt prius, ut doceant suos Discipulos Christianam Doctrinam, tum etiam cogendi, ex Decr. Congr. Concil. ad Archiepiscopum Spalatens. die 17 Julii 1668, ibidem, § 14.

(12. Doctrinam Christianam non omnes scire aequaliter necesse est; plura enim scitu necessaria Ecclesiasticis, quam Laicis, plura adultis, quam pueris et puellis, plura valentibus ingenio, quam hebetibus; Institut. Ecclesiast. 72, § 19.

(13. Si quis non credat explicite ea, quae scitu necessaria sunt necessitate medii, multo probabilius est, illum nec valide ab-

solutum fuisse. Illicita est quidem certe in eo casu absolutio, nec potest Confessarius tuto uti opposita huic sententia, et absolutioem illis, qui hæc ignoraverint, impertiri, ut ex propositione damnata ab Innocentio XI, constat.; ibidem, § 19.

(14. Si quis vero ignoret ea, quae necessaria sunt necessitate praecipi, dummodo nunc doleat, et proponat emendationem, absolvi utique potest, ut ex Theologis; ibid.

(15. Mandatum Procuratoribus Generalibus omnium Ordinum Regularium injunctum, ut per Encyclicam Epistolam Ministros Provinciales singularum Provinciarum Italiae, Insularumque adjacentium admoneant, ut per idoneum Virum Regularem singulis diebus Dominicis in quolibet Conventu Professis Laicis, ac praesertim quaestuatoribus Doctrinam Christianam, Catechismum, Romanum, et aliquod Regulae punctum explicari curent.

« In vigore della presente s'incarica seriamente al padre Procuratore Generale, etc., di scrivere una lettera circolare a tutti li Provinciali delle Provincie d'Italia, ed Isole adjacenti, con ordinar loro in coerenza della mente espressa della Sacra Congregazione sopra la Disciplina Regolare, che in ciaschedun Convento della medesima si spieghi ogni Domenica da un Padre, che da Superiori Locali rispettivamente sarà giudicato a proposito, la Doctrina Cristiana, Catechismo Romano, e qualche punto di Regola ai Religiosi Professi nello stato Laicale, e particolarmente ai Questuanti, con premere fervorosamente intorno a tuttociò, che riguarda i doveri, ed oblihi precisi, e proprii della Vita Religiosa, che professano. Si starà intanto attendendo di sentire in scriptis da V. P. che così si eseguirà speditamente senz' altro, etc. Di Casa, 13 Novembre 1709.

« Fr. DE VICO, Segretario. »

(16. Mandatum hoc Sac. Congr. innovatum fuit anno 1758, cujus omnimodam executionem in Ordine Frat. Minor P. Minister Generalis totius Ordinis edixit, ut sequitur.

F. CLEMENTE DI PALERMO, *Lettor Grub. Teol. di S. M. C. nel Real Congresso di Madrid per l'Immacolata Concezione, Ministro Gener. di tutto l'ordine nel D. P. San Francesco, Visitatore, e Riformatore Apostolico, e Servo nel Signore.*

« La Sacra Congregazione della Regolare Disciplina, sempre intenta a promuovere il vantaggio e il decoro delle Religioni, avendo saputo, quanto sieno ignoranti moltissimi Laici delle medesime tanto nella Doctrina Christiana, quanto nelle altre cose necessarie sapersi da questi, ha giudicato espediente fare intendere a tutti li Superiori Generali, quali sieno le sue intenzioni sopra un tal particolare per mezzo della seguente Lettera.